

## DE OFFICIO PRAETORUM.

### 1.39.1

*Imp. Constantius A. ad senatum.*

Praetori defertur haec iurisdictio sancientibus nobis, ut liberale negotium ipse disceptator examinet, sane interponi ab eo decreta conveniet, ut, sive in integrum restitutio deferenda est, probatis dumtaxat causis ab eodem etiam interponatur decretum, seu tutoris dandi seu ordinandi curatoris, impleatur ab eo interpositio decretorum: quippe cum apud eum quoque adipisci debeat patronorum iudicio sedula servitus libertatem, nec sane debita filiorum votis patrum vota cessabunt, ut patente copia liberos suos exuant potestate, magis propriis obsequiis mancipatos, cum sese intellegant his obsequii plus debere, a quibus sese meminerunt vinculis sacris exutos.

*D. III k. Ian. Eusebio et Hypatio consss.*

[a. 359]

### 1.39.2

*Impp. Valentinianus et Marcianus AA. Tatiano pu.*

Tres tantummodo praetores electae opinionis in hac urbe per singulos annos iudicio senatus praecipimus ordinari, qui competentes causas et debitos actus integre disceptare atque tractare debebunt, ut hi tamen tres ex his, qui proprium larem in hac alma urbe habeant, non ex provinciis elegantur. nec si qui forte propter aliquas causas ad hanc urbem de provinceis venerit, ad praeturae munus vocetur, sed hi tantummodo, ut dictum est, qui hic domicilium fovent, ita ut nec ipsi sumptus quosdam inferre cogantur inviti, sed habeant spontaneae liberalitatis arbitrium.

*D. XV k. Ian. Constantinopoli Valentiniano A. VII et Avieno consss.* [a. 450]